...tias Stanisl.

Zrzodliński Casim: Augustale theologicum ob eximias virtutes etc. D. Matthiae Stanislao Projeski erectum.

AUGUSTALE
THEOLOGICUM,

Ob

Eximias Virtutes, consumatam Sapientiam, indefessos labores, & amplissima in Republica Literaria Merita,

Perillustri, Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. MATTHIÆ
STANISLAO
PSOIECKI,

Collegæ Majori, Sacræ Theologiæ & Iuris Vtriusq; DOCTORI, Cursûs Theologici Radiminsciani, Professori, Protonotario Apostolico, Ecclesiæ Collegiatæ, S. FLORIANI Canonico, Curato in Osiek, Contubernij Jagelloniani Provisori, Almæ Universitatis Cracoviensis, GENERALI PROCVRATORI,

DVM

In eadem Celeberrima Academia,

PRO LOCO,

Inter Perillustres, Clarißimos, & Admodùm Reverendos Dominos,

Sacræ Theologiæ DOCTORES ac Professores,

RITV SOLENNI,

In Florentissima Illustrium Hospitum & Academici Senatûs præsentia, Responderet,

ERECTVM:

Iam verò,

In documentum profundæ Venerationis, debitæq; observantiæ, tanti Viri,

A

M. CASIMIRO ZRZODLINSKI, Philosophiæ Doctore & Professore,

Carmine Heroico,

ORBI POLONO,

Ad æviternam memoriam,

PRÆSENTATVM.

Anno à Partu Virginis M. DC. XCI. VIII. Idus Septembris.

CRACOVIÆ, Typis Nicolai Alexandri Schedel. S. R. M. Ord: Typ.

SCAZON DEDICATORIUS.

TE, Magne Doctor, Alma Mater exornat
Honore celebri, quem perenne commendat,
Laudisq; gloriæq; semper excelsæ,
In orbe monumentum. Vocare Parnassum
Nunc audeo libens, Sacrosvè Musarum
Choros. Cithara Te cantat ipsa Cirrhæa,
Tantùm fave, jubeq; celsa factorum
Cacumina Tuorum, levi sono, séclis
Transferre posthumis. Ego quidem non sum
Homerus, ut Ulyßis notem labores hîc,
Nec Musa nunc Maronis, occupat mentem
Meam, queat ut in luce publica, summo
Carmen placere, convenireq; Augusto.
Sed en humile supplexque, Summe Vir, votum
Absconde cordis in favente secreto.
Videre potes in me calentis affectûs
Expressa signa, quæ Tuo, Pater, sacro
Honori, in Academi Solo, triumphanti.
Hoc ergo, muneris loco, do vectigal,
Simul Theologicum Tibi offero Augustal.
Solennibus precabor interim votis,
Locatus ut in apside suprema, Vivas
Tithonios, diu, Professor Illustris,
Annos. Pylia quem jam senecta conservet.

Ita Vovet,

Perillustris, Clarissimæ & Admodùm Reuerendæ Dominationis Vestræ,

Humillimus Cliens,

CASIMIRUS ZRZODLINSKI,
Artium Liberalium Magister, & Philosophiæ DOCTOR ac Professor.

AVGVSTALE
THEOLOGICVM.

NOn ego Romulei te dico Sanguinis auctor,
Cuncta tuo qui bella pater, sub numine torques:
Namq; meo veniunt nunc dulcia gaudia vultu.
Nec decanto tuos rigidos hac voce labores,
Tlepolemi genitor, necnon Iovis inclyta proles,
Quam non mille feræ, quam non Stheneleius hostis
Aût potuit superare unquam Saturnia Iuno.
Regis Alexandri non cogito dicere famam,
Nec laudem nunquam morituram pango Quirini,
Vel Ducibus claris Carthaginis, edo colossos.
Non Priamum canto, Troiæ, qui tempore longo
Rex fuit. Haud cupio vestrum duo fulmina belli
Scipiadæ, æternum fastis inscribere nomen.
Conticeo, quos ille ferox dedit Annibal ausus,
Cæsaris Augusti sileo compendia rerum
Gestarum: gazas Arabum, non narro beatas,
Et Cræsi felix procul esto opulentia; verùm
Facta, Virumque cano. qualem sapientia, virtus
Et labor & meritum, summas provexit ad arces.
Hoc fateor, quòd non verbis solennibus acta
Incipiam, nec Castaliæ vocalibus undis
Potatus, Phœboq; gravis; sed vestra Sorores
Pieriæ, Vati præsago gratia detur.
Ac tu magnorum proles Genitorq; Deorum,
Auxilium fer Latoides junctæq; Camænæ,
Theologi, grandes, quò possim dicere laudes
Commodiùs. Proin à puerilibus ordior annis
Argumẽta, Tuæ, modò, VIR CELEBERRIME, laudis,
PSOIECKI, cuius tenerum sapientia pectus,
Et probitas decorat. jam te tum cernere fas est
Magnanimum Alciden. non Tu mutaris in horas
At stabilem præfers vultum virtutibus aptum.
Quando alij tractant parvæ crepundia vitæ,

Viribus hunc cerno cunctis, ignava prementem
Otia: confestim summos pernicibus alis
Scandentem fasces; positus qui in flore juventæ,
En nova plectra movet; quando Cirrhæus Apollo, &
Sicelides Musæ, dulci probitate rubenti,
Dant è Pierijs vocalem fontibus undam.
Quis non Dædaleâ genitum Te Pallade credat?
Cùm superes studio, doctumq; Palæmona vincas
Grammatico: Orpheum veneratur Sacra Poësis.
Tullius eloquio es, decorat Te copia fandi:
Chrysippus, Zenoq;, Tuæ vinctas dare palmas
Deberent Arti, Stoæ præcepta docenti.
Publica mox genium magnum lectoria poscunt,
Et parat eximios Academica Pallas Honores,
Emeritam primam ponens in vertice Laurum.
Pandite nunc Helicona Deæ, cantusq; movete,
MATTHIAS, Lyciâ meruit cùm sorte vocari,
Interea ad præcelsa vagæ fastigia famæ.
Iam modò paululum iuvenis subvectus in altum,
Nec tamen alta sapit: præclara modestia doctam
Exornat mentem, procul estq; superbia turgens,
Quæ solet adjuncta, egregios evertere mores.
Ast hæc parva nimis: paulò maiora canamus.
Nocte sub arcana, nigros exutus amictus,
Non sua vel molli prosternit pectora lecto:
Immo nec in caræ vivit complexibus umbræ:
Sed vigilem manibus semper capit ipse lucernam,
Ad quam multa legit, tum nigras discutit umbras.
Macte bonis animi, qui Rostra Togata frequentas,
Te Alma Parens, geminam mandat sperare Coronam.
Contulit hanc citò; verùm mox magniq; Penates
Doctorem poscunt, redimitum tempora Lauro.
Grande quidem, rarumq; Viris sic inde probari
Principibus Mitris, ac nomina summa tenere,
Quis valet? hic tantùm, quem verè cernimus ipsi,
Conspicuum vultu, generosaq; indole natum.
Quem solidâ instituit doctrinâ, casta Minerva

Munivitq; ſuum virtus operoſa Magiſtrum.
Omnia, Tu Doctor, ſat largo munere prêndis.
Magnorum Heroum, proin inclyta pignora curæ,
Ecce Tuæ dantur. Mens iam præcelſa ZAŁVSCI
Egregias animi dotes, geniumq; probavit,
Magnanimos quando illa Chironi tradit Achilles
Primò. condecorat nunc ſacra Tiara Pedumq;
Vnum KIIOVIÆ: lucet namq; orbe Polono,
Dum Conſulta Patrum, tum leges, juraq; ſervat.
Demiſsè reliquos venerantur Climata Mundi.
Grajugenum ille ſtupor, non iactet docta Magiſtri
Dogmata Ariſtotelis: non deſunt præmia doctis
Frontibus, & ſemper ſine fine encomia manent,
Et modò. nam verus, Domus Illuſtriſſima, teſtis
DONHOFFI, laudans pariter ſtudiumq; coronans
Doctoris. Nunc digna cedro faſtisq; notari
Stirps antiqua nimis, Suadæ, cûi ſumma poteſtas
Demandata modò: nam prudentiſſima ſunt hîc
Pectora, quæ toties dicunt oracula verè
Delphica, præſidiumq; ferunt, rebuſvè ſecundis
Conſilium Patriæ, pariter quàm tempore duro.
Aſt ſummus, patriâ minimè contentus arenâ,
Doctor, iam greſſus properos en dirigit ultrà,
Atq; alio ſub ſole novas conquirere laudes
Feſtinat, Latiumq; petit, virtutis imago.
Elogio quovis dignum, Saturnia tellus
Vidit ut ipſa Virum. Themidis mox Laurea Sacræ
Nectitur, emeritæq; datur jam portio fronti.
Poſtquam gemmiferam Divina Aſtræa coronam,
Delicij Iuris, poſuit jam vertice docto.
Inde pedem Doctor, multa cum laude reflexit.
Panditur interea Domus, eximiumq; Minorum
Collegarum tunc decus, atq; inſigne trophæum.
Illa Patrum, paribus mandat propenſa voluntas,
Te gaudere bonis. ô Vir, quidni ſatis eſſet
Eximiæ laudis, tum clari nominis inde?
Tu tamen exoticos iterum petis amne receſſus,

SRZENIAVIO, varias ſpecies, cultusq; locorum,
Templaq;, & innumeris ſpatia interſtincta figuris,
Viſis, quò veniat Tibi poſthac gloria major.
Te Romanus honos Capitolia tollit in alta:
Theologam Laurum prenſas in Principe Roma.
Proſpectat lectus populus, cætusq; Togatus
Continuò, plauſusq; ſacro iam cantat Honori.
Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta Caput Mundi, tantum eſt mirata triumphum.
Vos mihi quæ Latium, ſeptenaq; culmina Nymphæ
Incolitis; Tybrimq; novis attollitis undis
Conciliate fidem: quoniam plauſiſtis amœnæ.
Lechia ſed triſtis tanto ſpoliata Decore,
Aſſiduè querulas tranſmittit ad æthera voces,
Vt veniat ſibi, tum patrijs conſiſtat in Oris,
Vir magnus, Doctor ſapiens, caſtusq; Sacerdos.
Ipſa Minor Domus Inclyta, quæ pietate coruſcat,
Collegam revocare cupit, quò ſumma laborum
Doctoris tanti, aſcenſu majore coronet.
Dulce decus redit, & celeres ad limina noſtra
Inde pedes vertens huc: experientia tanta,
Doctrina, & pietas, & rerum plurimus uſus,
Linguarumq; in eo floret collectio ſumma.
Dignum laude Virum, iam cara Polonia gaudet
Viſcera in accepiſſe ſua, à longeq; rediſſe.
Concipit & noſtra Alma Parens hinc gaudia mille.
Dumq; Polona nimis gaudet, plauditq; Propago,
Purpureum juris jubar, & Conſum reſalutat.
Tunc Auguſta Domus, magnos pendendo labores,
Maior, Te Patrum docto mox deputat Albo.
Hîc ubi conſtiteras, qualis, quantuſvè videris
Quid referam? cùm geſta Tua omnis cernat acutè.
Mitto ea quæ tecum fuerunt communia multis;
Sed tantùm propriè Tua quæ ſunt, canto Pöeta.
Almæ quis matri Magno in diſcrimine rerum,
Obtulit egregium ſtudium cum laude frequenter?
PSOIECKI Doctor, quem ſolum Numina Regni
Noſ-

Noſcunt perbellè curantem munera Matris.
Sic modò dum nobis obſunt immania monſtra,
Atq; ſacroſanctas leges temerare parata:
Quis magè tam afflictis opponere pectora rebus
Audet, quàm noſter magna virtute coruſcans
(Veſtra meo non diſſideat ſententia Voto)
Doctor? præcipitans in multa pericula vitam.
Deſcendo ad reliquos, quos, Vir Celeberrimus, actus
Implevit: Sileo quanquam teſtatur & OSIEK,
In quo reſplendet CVRATI cura Paterna.
Dum niveas tutatur oves, dum læta miniſtrat
Pabula, dum virtute ſimul verboq; laborat.
Et Craciæ populi nunc flexanima ora Periclis
Experiuntur alacres, Ambroſiumq; ibi rati
Mellifluum: currunt omnes audire tonantem:
Vel Chryſoſtomus hic, profert quando aurea verba,
Cenſetur: nec non ſapiens Academia ſummum
Theologum tenet, eximio Splendore micantem.
Aurea mens eius patet interea, ardua quando
Cœleſtis, grauiter, doctrinæ ſenſa reſolvit.
Majeſtas reſidet vultu, mens nobilis atque;
Nil ibi plebejum. Gentilitiæ SOLEÆ, nam
Elucet ſplendor clarè, celeriſq; Sagittæ,
Nec non ſumma petens Virtus ibi præpetis Alæ.
Talibus ornatùs Generis ſplendoribus, inter
Promeruit gratum, terreſtria Numina, amorem.
Odryſiæ, toties, Rex, frangens cornua Lunæ,
Dilexit dotes celſa cum mente IOANNES,
O Vir magne, Tuas; nec FASCIA Principis, à Te
Avertit nexus, Auguſtaq; Lumina laudant
VAVELI, dum facta Tua extolluntq; probantque.
Nunc tandem impoſuit ſummis faſtigia rebus
DOCTOR, & in Regno Sapientûm mille trophæa
Obtinuit: cûi Caſtalides ſublimia pandunt;
In quibus æternos referet ſine nube triumphos.
Ergo Vive Pater, ſuprema ſede locatus,
Felix, nec magnum properes aſcendere Cælum.

Neſtoreos annos, Mathuſalemia ſêcla
Imple; quodq; Tibi ſapientia ſtruxit, in ævum
AVGVSΓALE Tuum, feliciter ipſa coronet.

ODE I. TRICOLOS Tetraſtrophos,

Amplitudini ſacræ,

Perilluſtris, Clariſſimi, & Admodùm Reuerendi Domini,

Sacræ Theologiæ, & Iuris Vtriuſq; Doctoris, Applaudens.

Tandem ſtetiſti, Vir Celeberrime,
In auge ſumma Culminis ardui :
Gaude, novumq; carmen Orbi
Congemina: quia Doctor es nunc.

Scyllæ latrantis cæruleum vadum,
Nec non Charybdis mille pericula
Tranare, tum portum ſecundè
Tangere, Te meruiſſe, plaude.

Damnoſa Siren ludere pertinax
Præſtigijs, en non potuit Tuam
Virtutis almæ duriorem
Illa viam, Tibi præpedire.

Prudens Vlyſſes ridet hic omnia ;
Obturat aures blanditijs Deæ ;
Cùi dulce ſolamen laborum,
Atq; operum generoſa merces

Cordi eſt: triumphos, pegmata publica,
Parate tanto Theſpiades Viro,
Qui indefatigato freqnenter
Pectore, prælia dira fudit.

PSOIECIANI gloria Nominis,
Meretur altæ Laudis adoream,
Auro refulgente, & metallo
Aſſyrio pretioſiorem.

Sensêre, claro dum eloquio tonas,
Quid lingua poſſet, quid calamo manus ?

Externa quando Regna, sacrâ
Conspicuum coluêre Lauru.
Tu si remittis munera grandia,
Opusq; sumis, mox sapientiæ
Diuinioris, tum labores
Aoniâ recreas Camænâ.
Te nec reclinat solicitum, labor
Poscens quietem; sed neq; publicæ,
Pro Matre dilecta per Orbem,
Sat vigiles domuêre curæ.
Doctore tanto, nam nihil aureus,
Maiusvè, Titan, vel meliùs videt:
Ergo beatos vivat annos,
Myriades numerando longas.

Cecinit LUDOVICUS GASZYNSKI, *Studiosus Rhetorices.*

ODE II. DICOLOS Tetrastrophos.

MAgne PSOIECKI, Cathedram petis dum
Craciam, longè superas clientûm
Vota, tum plausus celebres in Orbe
Inclyte Doctor.
Qui Tuas ausit numerare laudes,
Adriæ insanos numerare fluctus,
Ille, & immensam spatijs Libyssam
Ausit arenam.
Nobilis virtus, Tibi pectus almum
Munijt, tanquam clypeus coruscans:
Cinxit & frontem niveam virenti
Fronde Corymbus.
Lumen es clarum, Schola dicit ipsa,
Cuius æternum decus, & Coronam
Semper exornas vbicunq; degis
Docte Professor.
Splendor Augusti, & Columen Lycei
Craciæ es, Doctor celebris, per Orbem:
Gratius Phœbi radijs Polono
Sydus Olympo.

Ergo ſic nobis Helice Trionis,
Et Theologum jubar, atq; Sacræ
Exedræ Lumen peragens triumphet
Secula mille.


VLADISLAVS GASZYNSKI, Studioſus Rhetorices.

FAVSTA ACCLAMATIO.

EXigit emeritos labor exantlatus honores,
Et poſcit ſummum ferre per ora decus
Blanda Virûm. PSOIECKI, quando culmina celſa
Scandis, & in Cathedra, præmia Theologus
Docta capis: meritò celebres renovare triumphos,
Noſtræ Aganippeæ jam properantq; Deæ
Altius in culmen, Sapientia tollat honorum,
Conſpicuâ ornatum Te probitate Virum.
Vive Perilluſtris Doctor, tot luſtra, precamur:
Æolium nitidas, quot mare nutrit aquas.

ALEXANDER GASZYNSKI, Studioſus Grammatices.

In Vetuſtiſsimum Inſigne, Primævæ Regni Scholæ, EPIGRAMMA.



HOrrida monſtra fremant quamvis, Academia, quid tum?
Stemma Tuum, ſplendor, præſidiumq; Tibi eſt:
Hîc pietas firmo doctrinæ fœdere juncta,
Contra Erebi Furias, jam manet impavida.

ALBERTVS de Lubraniec DĄBSKI, Studioſus Rhetorices.

Permiſſu Magnifici Domini RECTORIS.